

De somno : dissertatio physiologico-pathologica ... / auctor Franciscus Schneider.

Contributors

Schneider, Franz.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1835.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hamyrans>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





16
D E
S O M N O.

DISSERTATIO
PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA
QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
FRANCISCUS SCHNEIDER
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

B. HALSBAND, MED. ET CHIR. DR.
A. RICHTERS, MED. ET CHIR. DR.
E. FRENTROP, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis, mulces reparasque labori.

Seneca.

P A T R I
OPTIMO, DILECTISSIMO
AD CINERES USQUE COLENDO

H A S C E
S T U D I O R U M P R I M I T I A S

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. DE SOMNO GENERATIM.

Somnus tam arcte cum vita conjunctus, et pugna, qua omnis vita singularis cum natura externa continuo est occupata, fundatus et constitutus est, ut cum ipsa vita somnus quoque ponatur. Omnia quae vivunt et vigilant, somno quoque parere debent. Propterea somnus sensu latiori etiam plantis concedendus est. Qui plantarum somnus partim die et nocte diversa illa respiratione et exhalatione, partim motibus quibusdam somnum antecedentibus se ostendit. Plurimae plantae sub noctem calyces claudunt et folia componunt. Nymphaea alba vespere in aquam submergitur, et mane iterum ascendit. Ipsa etiam incitabilitas plantarum nocte a peripheria ad interiora recedit, a foliis ad petiolum. Causa somni et vigiliae in ipsa quidem plantae natura posita est, sed typo suo cum totius naturae vicibus consonat (1). Secundum observationes

(1) Burdach. Physiologie. III. §. 596.

Duhamel, Mairan, Ritters, plantae ab omni luce in obscurum remotae eodem regulari modo se claudunt et aperiunt, ac si diei noctisque vices subdivo in eas vigeant. Nihilo minus plantarum ille typus arte mutari potest. — In animalibus somnus magis excultus invenitur; animalia vero inferiorum classium perfectum somnum non habent, quia vigiliam perfectam non assequuntur; e. g. somnus insectorum, apium (2), culicum (3) torpescentia potius esse videtur. Eodem modo somnus piscium, quem Aristoteles jam cognovit, et Lebenheim observavit, incompletus est. In avibus et mammalibus somnus magis apparet, sed brevis tantum et lenis est, praecipue in avibus e. g. anseribus. Homo denique perfectissimo somno fruitur, quia perfectissime vigilat. Vigilia hominis ejusmodi status est, in quo res externae omnibus sensibus clare percipiuntur, motus voluntarii sine impedimento perficiuntur, et animus secundum leges objectivas res omnes dijudicat. Si e contrario organa omnia, praecipue sensus, usque ad certum gradum actionem remittunt, aut si, ut Kant dicit (4), perceptionum per sensus externos non amplius nobis consciî sumus, is status 'somnus nominatur. Somni prodromus est somnolentia, quae sensu proprio in anteriori capitis parte, lassitudine, defatigatione artuum et diminuta caloris procreatione se ostendit.

(2) Aristoteles, *Histor. animal.* Lib. IV. C. 10.

(3) Lebenheim, *Versuch einer Physiologie des Schlafes.* Leipzig 1823. 2 Bde. I. p. 154. 165.

(4) *Anthropologie.* §. 23.

Exoritur oscitatio et extensio artuum; animus actione remittit, attentio relaxatur, cogitata pervertit et retinere non potest; illusiones sensuum apparent; oculi non amplius splendent, sed obtusi et rigidi fiunt. Iris motu associato contrahitur, quia oculi ad latus superius et interius diriguntur (5). Postquam videre desiimus, aliquamdiu tamen, sed quasi ex loco remoto et tantum strepitum quendam audimus. Caput ad pectus declinat, extremitates flectuntur, totumque corpus dormientis, ut Wieland bene dicit, figuram *S* romani exhibet. «Debile fit corpus, languescunt omnia membra, brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt (6).» Somnus in principio gravissimus, tum quietus et sub finem maxime lenis est, et facile fugari potest. — Evigilatio in redeunte sensuum et motuum voluntariorum actione posita est, ubi commercium cum natura externa iterum vivacius redditur, qui status ei vix natorum valde similis est. In evigilatione primum omnia nebulosa et confusa, modo clariore luce apparent. Animus non statim sui conscius, neque statim quae quis dicit intelligit. Musculi post tensionem membrorum, oculi frictione leni cum digitis vivaciores redduntur. Nihil ad excretionem intrat, et mucus, urina, denique alvus excernuntur. — Excitatio subitanea et vi effecta, omnes magni terroris perniciosos affectus procreare potest, dum somni ebrieta-

(5) J. Müller, Handbuch der Physiologie des Menschen, Bd. Cobl. 1834. p. 663.

(6) Lucretius Carus de rerum natura.

tem efficit, in qua homines saepe quasi vesania furunt (7). Cujus vesaniae causa saepe phantasmata et somnia sint, quae in subita excitatione non statim evanescent. Similis casus est, quem Hoffbauer (8) de muliere a conjuge necata narrat. Evigilationis naturalis causae sunt: roboratio, quam organismus somno accepit; consuetudo et voluntas certo tempore evigilandi; incitamenta externa diei, lux, strepitus, commutatio aëris, etc., et interna, materiae excernendae. —

II. CAUSA PROXIMA SOMNI.

De proxima somni causa ab antiquis inde temporibus plurimae et diversissimae sententiae, quibus modo hoc modo illud signum somni fundamentum jecerunt, prolatae sunt. Sententia Hippocratis (9) et Galeni (10) erat, somnum eo effici, quod calor et sanguis ad interiora corporis recedant. Plinius dicit (11), somnum esse animi in sese medium recessum; sicut Baco eum receptionem spiritus vivi in se nominat. Aristoteles somni causam in vaporibus posuit, qui ad caput ascendant, et tum ad cor decendant, qua re sensorium commune ita ut somnus oriatur commutaretur (12). Somnum in corde sedem suam habere putavit. Alii, ut Asclepia-

(7) Burdach l. c. §. 602.

(8) Die Psychologie in ihren Hauptanwendungen auf die Rechtspflege. Halle 1808, S. 300. ff.

(9) De morb. epidemic. VI. C. 4.

(10) De pulsib. III. 7.

(11) Natur. histor. L. IV. C. 75. L. X. c. ult.

(12) De somno et vigil. p. 184.

des et Caelius Aurelianus (13) somnum eo effici putant, quod spiritus vitales nimis spissentur; alii, quod spiritus illi impediuntur, quominus per nervos irent, ut Tozzi (14), alii ut de la Roche (15) motum impeditum partium subtilissimarum cerebri et nervorum causam somni habebant; alii quod ventriculi cerebri collabuntur, ut Hartlei, aut egestatem spiritus vitalis, ut Stuart et Verhayn (16). Berger et de Moar (17) sanguinem cerebrum prementem somni causam dixerunt; Vieussen (18) obstructionem fistularum cerebri; Fr. Hoffmann (19) sublatum effectum spiritus nervorum in nervos sensuum et motuum voluntariorum; Boerhave (20) quietem ejusdem spiritus, impedita ejus secretionem aut circulationem effectam; Haller (21) quoque impeditum illius motum in cerebro; ita quoque Cullen (22) et Gallini, Godart (23), Bayle, Tittmann (24), Ackermann (25), qui verbis tantum,

(13) Cael. Aurelianus Ed. Amman. Amstelod. 1755. I. C. 14. p. 45.

(14) Medicina p. 33.

(15) Zergliederung der Verrichtungen des Nervensystems. Ausl. Französ. von Merzdorf. Halle 1794.

(16) Philosoph. Transact. n. 427.

(17) Observat. de instaurat. medic. p. 335.

(18) Histoire de l'Academie des sciences. 1709. p. 12.

(19) Systema med. rat. T. I. L. I. Sect. III. c. VI. §. 3.

(20) Praelection. academic. T. IV. p. 534.

(21) Element. physiolog. T. V. p. 617. Ed. quarta.

(22) Anfangsgründe der theoretischen Arzneikunst. S. 67.

(23) De l'ame. p. 306.

(24) De somno ejusdem causis. Lips. 1799.

(25) Versuch einer physischen Darstellung organisirter Körper. S. 169.

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis, mulces reparasque labori.

Seneca.

P A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

H A S C E
S T U D I O R U M P R I M I T I A S

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. DE SOMNO GENERATIM.

Somnus tam arcte cum vita conjunctus, et pugna, qua omnis vita singularis cum natura externa continuo est occupata, fundatus et constitutus est, ut cum ipsa vita somnus quoque ponatur. Omnia quae vivunt et vigilant, somno quoque parere debent. Propterea somnus sensu latiori etiam plantis concedendus est. Qui plantarum somnus partim die et nocte diversa illa respiratione et exhalatione, partim motibus quibusdam somnum antecedentibus se ostendit. Plurimae plantae sub noctem calyces claudunt et folia componunt. *Nymphaea alba* vespere in aquam submergitur, et mane iterum ascendit. Ipsa etiam incitabilitas plantarum nocte a peripheria ad interiora recedit, a foliis ad petiolum. Causa somni et vigiliae in ipsa quidem plantae natura posita est, sed typo suo cum totius naturae vicibus consonat (1). Secundum observationes

(1) Burdach. Physiologie. III. §. 596.

Duhamel, Mairan, Ritters, plantae ab omni luce in obscurum remotae eodem regulari modo se claudunt et aperiunt, ac si diei noctisque vices sub divo in eas vigeant. Nihilo minus plantarum ille typus arte mutari potest. — In animalibus somnus magis excultus invenitur; animalia vero inferiorum classium perfectum somnum non habent, quia vigiliam perfectam non assequuntur; e. g. somnus insectorum, apium (2), culicum (3) torpescentia potius esse videtur. Eodem modo somnus piscium, quem Aristoteles jam cognovit, et Lebenheim observavit, incompletus est. In avibus et mammalibus somnus magis apparet, sed brevis tantum et lenis est, praecipue in avibus e. g. anseribus. Homo denique perfectissimo somno fruitur, quia perfectissime vigilat. Vigilia hominis ejusmodi status est, in quo res externae omnibus sensibus clare percipiuntur, motus voluntarii sine impedimento perficiuntur, et animus secundum leges objectivas res omnes dijudicat. Si e contrario organa omnia, praecipue sensus, usque ad certum gradum actionem remittunt, aut si, ut Kant dicit (4), perceptionum per sensus externos non amplius nobis consciï sumus, is status somnus nominatur. Somni prodromus est somnolentia, quae sensu proprio in anteriori capitis parte, lassitudine, defatigatione artuum et deminuta caloris procreatione se ostendit.

(2) Aristoteles, *Histor. animal.* Lib. IV. C. 10.

(3) Lebenheim, *Versuch einer Physiologie des Schlafes.* Leipzig 1823. 2 Bde. I. p. 154. 165.

(4) *Anthropologie.* §. 23.

Exoritur oscitatio et extensio artuum; animus actione remittit, attentio relaxatur, cogitata pervertit et retinere non potest; illusiones sensuum apparent; oculi non amplius splendent, sed obtusi et rigidi fiunt. Iris motu associato contrahitur, quia oculi ad latus superius et interius diriguntur (5). Postquam videre desiimus, aliquamdiu tamen, sed quasi ex loco remoto et tantum strepitum quendam audimus. Caput ad pectus declinat, extremitates flectuntur, totumque corpus dormientis, ut Wieland bene dicit, figuram *S* romani exhibet. «Debile fit corpus, languescunt omnia membra, brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt (6).» Somnus in principio gravissimus, tum quietus et sub finem maxime lenis est, et facile fugari potest. — Evigilatio in redeunte sensuum et motuum voluntariorum actione posita est, ubi commercium cum natura externa iterum vivacius redditur, qui status ei vix natorum valde similis est. In evigilatione primum omnia nebulosa et confusa, modo clariore luce apparent. Animus non statim sui conscius, neque statim quae quis dicit intelligit. Musculi post tensionem membrorum, oculi frictione leni cum digitis vivaciores redduntur. Nihil ad excretionem intrat, et mucus, urina, denique alvus excernuntur. — Excitatio subitanea et vi effecta, omnes magni terroris perniciosos effectus procreare potest, dum somni ebrieta-

(5) J. Müller, Handbuch der Physiologie des Menschen, Bd. Cobl. 1834. p. 663.

(6) Lucretius Carus de rerum natura.

tem efficit, in qua homines saepe quasi vesania furunt (7). Cujus vesaniae causa saepe phantasmata et somnia sint, quae in subita excitatione non statim evanescent. Similis casus est, quem Hoffbauer (8) de muliere a conjuge necata narrat. Evigilationis naturalis causae sunt: roboratio, quam organismus somno accepit; consuetudo et voluntas certo tempore evigilandi; incitamenta externa diei, lux, strepitus, commutatio aëris, etc., et interna, materiae excernendae. —

II. CAUSA PROXIMA SOMNI.

De proxima somni causa ab antiquis inde temporibus plurimae et diversissimae sententiae, quibus modo hoc modo illud signum somni fundamentum jecerunt, prolatae sunt. Sententia Hippocratis (9) et Galeni (10) erat, somnum eo effici, quod calor et sanguis ad interiora corporis recedant. Plinius dicit (11), somnum esse animi in sese medium recessum; sicut Baco eum receptionem spiritus vivi in se nominat. Aristoteles somni causam in vaporibus posuit, qui ad caput ascendant, et tum ad cor decendant, qua re sensorium commune ita ut somnus oriatur commutaretur (12). Somnum in corde sedem suam habere putavit. Alii, ut Asclepia-

(7) Burdach l. c. §. 602.

(8) Die Psychologie in ihren Hauptanwendungen auf die Rechtspflege. Halle 1808, S. 300. ff.

(9) De morb. epidemic. VI. C. 4.

(10) De pulsib. III. 7.

(11) Natur. histor. L. IV. C. 75. L. X. c. ult.

(12) De somno et vigil. p. 184.

des et Caelius Aurelianus (13) somnum eo effici putant, quod spiritus vitales nimis spissentur; alii, quod spiritus illi impediuntur, quominus per nervos irent, ut Tozzi (14), alii ut de la Roche (15) motum impeditum partium subtilissimarum cerebri et nervorum causam somni habebant; alii quod ventriculi cerebri collabuntur, ut Hartlei, aut egestatem spiritus vitalis, ut Stuart et Verhayn (16). Berger et de Moar (17) sanguinem cerebrum prementem somni causam dixerunt; Vieussen (18) obstructionem fistularum cerebri; Fr. Hoffmann (19) sublatum effectum spiritus nervorum in nervos sensuum et motuum voluntariorum; Boerhave (20) quietem ejusdem spiritus, impedita ejus secretionem aut circulatione effectam; Haller (21) quoque impeditum illius motum in cerebro; ita quoque Cullen (22) et Gallini, Godart (23), Bayle, Tittmann (24), Ackermann (25), qui verbis tantum,

(13) Cael. Aurelianus Ed. Amman. Amstelod. 1755. I. C. 14. p. 45.

(14) Medicina p. 33.

(15) Zergliederung der Verrichtungen des Nervensystems. Ausl. Französ. von Merzdorf. Halle 1794.

(16) Philosoph. Transact. n. 427.

(17) Observat. de instaurat. medic. p. 335.

(18) Histoire de l'Academie des sciences. 1709. p. 12.

(19) Systema med. rat. T. I. L. I. Sect. III. c. VI. §. 3.

(20) Praelection. academic. T. IV. p. 534.

(21) Element. physiolog. T. V. p. 617. Ed. quarta.

(22) Anfangsgründe der theoretischen Arzneikunst. S. 67.

(23) De l'ame. p. 306.

(24) De somno ejusdem causis. Lips. 1799.

(25) Versuch einer physischen Darstellung organisirter Körper S. 169.

non re inter se dissentiunt, ita ut alii dicant inopiam spiritus vitalis aut nervorum, alii fluidum nervorum aut aethera vitalem. Lebenheim causam somni in oppositionibus voluntatis et passionis (velle et pati) requirit. Darwin (26) plane deficientem voluntatem; Itz (27) deficientem mentis conscientiam accusat; cum illo consentit Richerz (28), cum hoc Lenhossek (29). Reil (30) somni causam proximam putavit sensibilitatem totius systematis nervorum suppressam; Castel (31) accumulationem ejus in organis interioribus. Nonnulli somnum pro animi facultate habentes eo deducebantur, ut somni proprium organon constituerent, ut Schneider (32) et alii, ex recentioribus Friedlaender (33). — Philosophia naturae alia argumenta et interiores, profundiores vitae conditiones inquirere et causam proximam ex iis constituere studet. Si vero Steffens somnum eo explicat, quod in ipso factor vegetativus factorem animale

(26) Zoonomie, übers. v. Brandis, Hannov. 1795. T. I. c. XVIII. p. 3. 9.

(27) Versuch einer Anthropologie. Winterthur 1803. S. 399.

(28) Zusätze zu Muratori üb. d. Einbildungskraft. S. 234.

(29) Darstellung des menschlichen Gemüths, Bd. I. Hauptst. 3, C. II.

(30) Functiones organo animi peculiares. p. 110.

(31) Journal complémentaire du dictionnaire des sciences médicales. T XXI. p. 191.

(32) De morb. capit. Wirtemb. 1669. p. 438.

(33) Versuch über d. innern Sinne und ihre Anomalien, Starrsucht, Entzückung, Schlafsucht und Intelligenzerrüttung. Leipz. 1826. Bd. I. §. 85.

superet; si Doellinger (34) somnum nominat temporalem vitae plantaris et animalis disjunctionem; Walther commissionem vitae egoisticae in communem vitam spiritus naturae, vel confluxum animi proprii cum communi naturae animo; Kieser (35) communem vitam telluricam, vigiliam vitam solarem adducit: omnia ea pulcre quidem et ex parte quam vere dicta esse quisque concedet, simul autem ex iis somni naturam et causam proximam haud magis didicisse profitebitur, quam cui Leupoldt (36) omni causam et naturam in eo positam esse dicit, quod fluida (communia) de solidis (specialioribus) triumphant, ea superant, et sic singularia submerguntur in communia, universalia; aut si Eschenmayer (37) somnum ejusmodi statum describit, in quo vitae poli latentes fiant, et undulatio pendulans animi = 0 sit!; aut si Friedlaender (38) somnum adynamicam polaritatem organi contemplationis internae intercedente polaritate organi somni designat. — Bene equidem scio, disquisitionem physiologicam somni rem esse maxime arduam et spinosam, ut ipsis libris, quos viri celeberrimi hac de re conscripserunt, satis apparet. Sed si non res nova proponi potest, saltem verba nova et mystica vitentur, quae nimbo suo praegrandi etiam partes jam cognitae iterum oculis subtrahunt et obte-

(34) Grundriss der Naturlehre des menschlichen Organismus. Hamb. 1805. S. 292.

(35) System des Tellurismus oder thier. Magnetismus. Leipz. 2. 2 Bd. §. 158.

(36) Zeitschrift für die Anthropologie 1825. Heft 4, d. 308.

(37) Physiologie §. 221.

(38) l. c.

gunt. Ipsa in disquisitione naturae et causae proximae somni vetus illud problema de connexu atque consensu animi et corporis praecipue nos offendit, et debilitas argumentationum nostrarum in ea re est, cur tam inconstantes et variae sint theoriae. Plurimi autem errores eo exorti sunt, quod res modo ad solam materiam, modo ad animum tantum referebatur; modo in plurimas partes, modo omnino non dividebatur, et praecipue quod vitam non in complexu omnium partium, unam et totam contemplantur et observabant. Cum materia et vires nunquam disjunctae sint; materia et anorganica et organica semper forma tantum sit et conditio, in qua vires nobis se offerant; cum ergo materia organica non tantum vitae viribus quasi substratum sit, sed ipsa viva, activa: in observanda vita et organismo semper contemplatio materiae et dynameos conjuncta esse debet, quia in organismo animali nulla commutatio materiae sine simili dinamica existit. Actione functionum corporis vires ejus consumuntur. In inflammatione aliisque morbis vis vitalis eo deminuitur, quo magis ad sanandum morbum nititur. Quaeque lucis affectio oculos quodam gradu obtundit; quaeque irritatio materiam commutat (39). Sic etiam actiones omnis viventis materiae mutationes efficiunt, quae diutius agendi facultatem eis adimunt. Illae mutationes in functionibus systematis nervosi maximae apparent, in quo, quasi

(39) J. Mueller l. c. p. 54.

Hartmann Allgemeine Pathologie. Wien 1823. §. 104. ff

medulla totius corporis, restauratio maxime necessaria est. Materiae et virium mutationes illae ut tollantur et restituantur homini necessarius est somnus, illaeque mutationes ergo proxima ejus causa sunt, et ipse earum effectus tollit, consumptionem materiae organismi coercet, et detrimenta restituit.

III. CAUSAE REMOTAE.

Somni causae remotae in duas classes dividi possunt; primae quae aut nimia virium irritatione, aut directa earum depressione sequentem relaxationem efficiunt; alterae quae deficientibus incitamentis animi et corporis inertiam et apathiam producant, aut leni et grato incitamento animum quietum addunt. Ad primam classem referenda est:

a) *vigilia naturalis.* Actiones animi et corporis illum organismi statum, qui somni causa est proxima, efficiunt. Consuetudo quoque hac in re altum valet. Ita etiam in homine, qui totam diem inertia perdiderit, sub noctem tamen propter periodicitatem et consuetudinem desiderium somni intrat, et sola vigilia quasi vegetativa jam somnum poscit.

b) *Ventriculus repletus.* Observationem super instituere licet, homines et animalia post cibum dormire cupere. Deinde, jam Lucretius ait, cibum sequitur somnus; ita quoque Aristoteles. Quam rem scriptores vario modo explicaverunt. Morgagni sententiam, sanguinem, ventriculo repleto arteriam aortam premente, non libere

ad inferiores corporis partes currere posse, et ea de causa ad cerebrum agi, jam Boerhave et Haller refutarunt (40). Haller dicit, in digestionem magnam sanguinis copiam a cerebro ad ventriculum deferri; quae res maximi momenti sit. Sed hoc quoque plurimum valet, quod vis vitalis, dum in digestionem agit, a corporis peripheria magis recedit, et in interiora digestionis organa magis concentratur, atque a commercio cum natura externa, sicut in somno generatim, retrahitur. Quibus praeterea accedit vis somnifera caloris digestionem producti.

c) Calor et frigus. Haec relativo tantum modo in somnum agunt; modo adducunt somnum, modo fugant. Quidam caloris gradus certo vim vitalem maxime agilem et vivacem et homines optime vigilantes reddit, sed procul dubio etiam altior quidam gradus organismum deprimit, relaxat et in somnum inducit, ut aestivo tempore apparet. Sanguis tunc propter aërem magis extensum et volumen ejus amplificatum minus oxydatur, et magis venosus manet; omnis fibrarum tonus languescit calore, vis nervorum alteratione quadam minuitur, et haec debilitas ad somnum inclinat. Eodem modo frigoris vis relativa tantum est. Inferior frigoris gradus, praecipue si unam tantum corporis partem, e. g. pedes obtinet, quod hieme in lecto frigido vel sine integumento ad somnum recubantes observare possumus, somnum fugat. Macnisch (41) ejusmodi

(40) Wolf Davidson, über den Schlaf. Berlin 1796. S. 18.

(41) Der Schlaf in allen seinen Gestalten. Aus d. Engl. v. — r. Leipz. 1835. S. 11.

memoratu dignum exemplum narrat. Sed frigus
vehemens tantam somni cupiditatem efficere, cui
nemo nullo modo resistere possit, plurimis lugen-
dis ejusmodi exemplis probatur. Jam Aristote-
les de somno dicit: καὶ διὰ ψύξιν καταπίπτει τὰ βλέφαρα.
Quem frigoris effectum plerumque eo, quod sanguis
ad interiores partes, imprimis cerebrum recedat,
eorumque organorum functionem copia sua impe-
diat, explicant, quod certo multum valet. Sed
magis quoque momenti est ea in re frigoris vis di-
recte obtundens, quae in nervos periphericos agit;
nam vim frigus in omnia corpora organica exercet.

d) Si magnum impulsus et vehementem cu-
piditatem secuti sumus, effectus pro eorum gradu si-
milis est relaxatio et insequens debilitas et somnus.
hoc modo coitus quoque somnum efficit.

e) Spirituosa et narcotica. Spirituosa san-
guinem agitant, systema nervorum incitant, et ma-
ximam virium reactionem provocant. Ea de causa
ardida musculorum actio, hilaritas et magnanimitas
sobrietate, et postea insequens major relaxatio et
eremendi nisus. Haller hujus rei causam phlo-
gionem nuncupavit. Narcotica parva dosi sumta
eade excitant, et simili modo, quod opiophagis
obdatur, ac spirituosa. Major deinde languor ad
soporem inducit. Magna autem eorum copia citis-
sime vires nervorum et totius organismi supprimit,
profundum efficit soporem. His ut vires somni-
ae accedunt: detractio magnae sanguinis copiae
haemorrhagiae, nec minus accumulatio san-
guinis, congestio et compressio cerebri sanguine,

pure etc.; quam rem Haller jam saepissime observavit. Haec momenta eo, quod actionem cerebri impediunt et deprimunt, in somnum agunt, non, ut Friedlaender contendit, quod organon somni conjecturatum, etiamsi illud extare certum esset, irritant.

f) Animus semet ipse contentus. In gravioribus vitae conditionibus, ut ita dicam, rebus in arduis cum a parte nostra omnia, quae res praesentes poscebant, perfecimus, licet tempora futura atra caligine tecta sint, immo etiam certo interitum adferant; aequo animo nos dulci somno tradimus. Hac de causa viri magni ante pugnam gravissimam, fatalem somno quieto fruebantur. In observationibus custodis in carcere detentorum, quas Cleg-horn communicavit, narratur, captos postquam mortis decretum eis nuntiatum esset, prima nocte somnum non reperisse, sed nocte diem mortis antecedente omnino quiete dormivisse (42). Quam rem in multis casibus non, ut Burdach, ab aequo, semet ipso contento animo, sed potius ab animo dubiis, spe et timore agitato et denique ita defatigato, ut nil amplius meditari et respicere possit, ex obtusa ergo animi quiete, qualis desperantibus saepe propria est, deducere velim.

g) Incitamenta deficientia. Inertia animi, in qua stupore quodam oppressus, nil cogitat, ad somnum inclinat. Similis status, in quo omnia, quae animo offeruntur, ejusmodi sunt, quae atten-

(42) Burdach l. c. §. 598. —

tionem ejus nullo modo excitare et tenere possint, sed otio torqueant, e. g. languida et prava in concupiscentia oratio, somnum efficit. Simili modo agunt obscuritas et quies, ubi incitamenta visus et auditus desunt. Attamen non solum absentia incitamentorum sensuum causa somni est, quod Burdach recte monet, sed etiam ea res, quod animus illa familia negligit, et in ea non attenditur. Quaedam sensuum incitamenta etiam somnum efficiunt, quae minimum a cogitatione detrahant, et simplicitate effectus sui eum in otium et quietem inertem inducunt, e. g. murmuratio fontis vel rivi, susurrus insectorum, lenis musica ex loco remoto audita etc. Quae omnia simplici suo effectu nervorum irritationem omnem remonent, eos pacificant, sensum gratum efficiunt, et animum otiosum in quietem et somnum inducunt. Maximi quoque momenti etiam haec est consuetudo, altera natura; nauta tumultuante mari, molitor strepitante mola dormit, immo etiam, quando ejus strepitus deest, dormire nequit; aliis strepitu horologii somnus fugatur.

DE STATU ORGANISMI ET FUNCTIONUM EJUS IN SOMNO.

De statu et functionibus corporis in somno quae multae sententiae prolatae sunt, ac de causa proxima, quia quaestiones tam similes et fere eae sunt. Qua de causa etiam huc referas, quae supra de somni causa proxima attuli. Una recipuarum de hac re quaestionum semper fuit, modo circulatio sanguinis in somno se habeat.

Galenus (43), Gorter (44), Haller (45), Nick (46) et alii ictus cordis in somno comminutos esse contendunt; contrariam sententiam proferunt Morgagni, Brown, Langrisah (47), Senac (48), Darwin (49), alii. Pulsus autem in somno, nisi spiritiosa etc. rem praeter normam mutant, semper minus frequens est. Secundum Testa pulsus in somno $\frac{1}{5}$ ictuum minus habet. Secundum Hamberger (50) pulsus in somno apud puerum octo annorum de ictibus centum ad octoginta novem; in puero annorum undecim de nonaginta ad octoginta; in puero quatuordecim annos nato de octoginta duo ad sexaginta duo comminuebatur; secundum Martin in viro de septuaginta ad sexaginta decidebat. Secundum Double, Brandis, Knox pulsus hora tertia post mediam noctem iterum assurgit, et die magis appropinquante magis concitatur. Respirationes rariores sunt, lentae et profundae, secundum Martin a viginti ad quindecim in minuta retardantur. Temperatura corporis plerumque plus quam $\frac{1}{2}^{\circ}\text{R}$. deminuta invenitur. Martin in somno quieto thoracem octo lineas angu-

(43) l. c. III. c. 9. 10.

(44) Exerc. II. de somno et vigil. tot. perspirat. Ed. II. 354.

(45) l. c. p. 604.

(46) Betrachtungen über die Bewegungen, unter denen die Häufigk. des Puls. im gesunden Zustande verändert wird. Gekr. Preisschr. Tübing. 1826.

(47) Med. pract. p. 273.

(48) Du coeur. II. p. 219.

(49) l. c. I. p. 401.

(50) Dictionnaire des sciences médicales. Paris 1821. Tom. 52. p. 81.

astiozem reperit. Secundum Stark et Reil transpiratione excernitur, durante hora nocturna, uncia una, per horam diurnam uncia una et drachmae septem; ergo ratio est 1:1,87. Transpiratio media nocte minima est, in diem augetur. Secundum Keil et Lining totum annum spectantes illa ratio esse habuit, ut 1:1,54; secundum Martin ut 1:1,30. Tam parvum discrimen exhibetur, praecipue quod mane transpiratio augetur. In secretionem urinae Keil et Lining mediam proportionem noctis ad diem, ut 1:1,2 et 1:1,07 invenerunt. Cum vero circulatio, pulsus, respiratio, calor, transpiratio etc. in somno comminuta sint, ceteras quoque functiones, secretionem salivae, muci in bronchiis, succi gastrici, digestionem etc. minus energicas esse necesse est. Secretiones secundum Schübler mane etiam qualitative mutatae sunt; lac mane excretum butyro ditissimum est; urina secundum Haertner mane saturatior, majorem sedimenti, acidorum et salium copiam continet. Remedia purgantia in somno minus celeriter, ac in vigilia, agunt (51). — Multi cum vehementi motu et labore homines macros, quiete et inertia pingues reddi observarent, inde sequi falso putarunt, digestionem et chylopoesin in somno auctam et majorem quam in vigilia esse. Quam sententiam Davidson (52) quoque et Schindler (53) veram esse contendunt,

(51) Burdach l. c. §. 606. —

(52) l. c. p. 28. 29.

(53) Die idiopathische, chronische Schlafsucht. Hirschberg 29, p. 129, 132. —

quamvis uterque motum peristalticum deminutum esse dicit. Secretiones, etsi excretiones non fiant, in somno auctas esse, Schindler eo clarissime probari dicit, quod expergefactis primum negotium sit, urinam mittendi. Ejusmodi multa falsa Schindleri ibidem argumenta sunt, quae re vera contra ejus sententiam pugnant. In eodem errore versatur Götzel (54), qui in somno digestionem, chylicationem, secretiones et excretiones, nec minus calorem corporis valde adauctum esse contendit, et ea in re, quod satis miratu dignum est, somnum hiemalem animalium in auxilium vocat. — Controversia illa de actione cordis, chylicationis etc. in somno praecipue nervo sympathico sustinetur, cui actiones quaedam, per tempus quoddam a caetero nervorum systemate non dependentes, negari non possunt. Progrediente physiologia, verisimiliter ex eo multa somni phaenomena magis explicabuntur, sed plurimi ea in re nervo sympathico nimis multum tribuerunt, nam vis nervorum omnis manat ex cerebro et medulla spinali. Homo diu vigilans atque laborans, dicit Rudolphi (55), majorem alimentorum copiam consumit; qua de causa in eo, caeteris paribus, minus remanet, quam in homine inerti et per majorem temporis partem dormiente; in quo ergo non plus alimenti paratur, sed tantum minus con-

(54) Somni adumbratio physiologica et pathologica. Dissert. Berol. 1819. p. 9. 10.

(55) Grundrifs der Physiologie, 2 Bd. 2 Abth. §. 335. —

mittitur. Praeterea pinguedo illa quiete et somno adducta minime laude aliqua digna est. Energia hominis laboribus semper occupati, etsi non maximam pinguedinis illam accumulat, praecipue qualitatem chylicationis et digestionis optimam reddit et confirmat. — Ad illam sententiam eo praecipue deducebantur, quod falso aliam in vigilia, aliam in somno vim agere putabant; vitam organicam et animalem distinguebant, aut sensibilitatem et reproductionem sibi invicem opponebant. Sed re vera in somno eadem, atque in vigilia, vires agunt, tantum varia intensitate et gradu. In quoque vitae statu una est vita, una eademque agit vis vitalis. Quae causa somnus neque status passivus, neque actio minus organi, ut multis placet, sed status activus totius organismi habendus est, qui gradu tantum a vigiliae statu decedit. Ex eo, quod certo tempore, quo nobis proposuimus, expergiscimur, satis elucet, somno praeter illam vitam organicam etiam animalem vel animi vitam agere.

V. DE SOMNO MORBOSO.

Somnus, qui non ex causis illis somnum sanum efficientibus oritur, et symptomatibus, longitudo, gravitate etc. a somno naturali discedit, morbosus appellatur; aut sicut paucis dicit Hippocrates (56): „Somnus, vigilia, utraque modum excessantia, morbus.” Somnus morbosus praecipue ad nervos nervosos pertinet, et certo in quoque mor-

(56) Aphoris, Sect. VII. 71.

boso somni statu chronico morbus aliquis systematis nervosi, vel primarius vel secundarius, causam praebet. Quapropter omnes status somnolenti sibi invicem valde propinqui sunt, et saepe unus in alterum transit; immo casus existunt, in quibus alterna vice convulsiones, catalepsis, ecstasis, somnambulismus, affectiones apoplecticae, asphyxia et insania observabantur. Illis rebus, quas omnes illi status communes habent, simul etiam classificatione eorum secundum symptomata minime essentialia maxime difficile redditur, quemque statum accurate distinguere et designare. Qua in re semper nobis ante oculos versari debet eorum propinquitas, quam *Horne* partim indicavit, quum omnes status soporosos minores apoplexiae gradus haberet, sicut multi scriptores eos status sub apoplexiae inscriptione describunt. Hoc in loco diversi illi status, somni tantum similia, paucis absolvantur, necesse est. Pro respectu longitudinis somni et excitabilitatis aegrotorum, eorumque mentis conscientiae varii gradus distinguuntur: Coma, somnolentum et vigil, Lethargus, Carus. Similes status his se adjungunt apoplexia, epilepsia, catalepsis, catochus, deliquium animi, eclipsis secundum *Berends*, lipothymia, syncope, asphyxia. Omnes hi morbi variis symptomatibus distinguuntur; nihilo minus tamen observatio et indagatio accuratior docet, omnium causam esse mutatam animi et corporis in se invicem actionem; vigorem et vires systematis nervosi in omnibus illis debilitatas, suppressas et alienatas esse, et omnes causas remotas, quae in illos

morbos ducant, primum efficere statum illum systematis nervosi et praecipue cerebri; quod recte monet Schindler. Omnes ergo illi morbi re vera status symptomatici sunt, in quibus variis sub formis idem status causalis systematis nervorum apparet. — Singularem somnum morbosum, quem hoc loco praecipue respiciendum esse putavi, cum magis quam supra nominati morbi somno sano similis sit, Schindler (57) imprimis observavit et inquisivit. Cataphoram idiopathicam, chronicam appellat, et morbum proprium constituit, et ab aliis distinguit. Illam cataphoram ejusmodi soporem describit, in quo fere omnes corporis functiones libere regant; febris nulla adsit; turbatio actionum animi animadverti non possit, quique somno sano maxime similis, eo tantum quod longior ac profundior sit, ab illo discedat. Naturam ejus morbi Schindler morbum nervosum dynamicum, in quo causam materialem invenire non possimus, designat, et cataphoram idiopathicam, chronicam ab illis deuteropathicis morbis his rebus dignoscit. Coma, Lethargus, Carus nunquam morbus idiopathicus, sed semper cum alio malo cerebri functionem impediante, typho, apoplexia, vulneribus capitis etc. adducta conjunctus observatur. Ex comate et lethargo eger difficile expergefieri, ex caro nullis incitamentis excitari potest, sed e cataphora sponte evigilat, loquitur, et omni usu animi virium fruitur. Catalepsi cataphora eo discedit, quod in illa mem-

bra ut cera flecti possunt, et aeger sicut statua rigidus jacet. Ecstasis signis externis cataphorae maxime similis est, sed ea re differt, quod in ipsa animus vi magna in rem aliquam fixus est; aeger suscitatus cogitationum et imaginum memoriam bene servat, et in eas iterum submergi valde desiderat. Symptomata paralyseos apoplexiam a cataphora satis distinguunt. A lipothymia, syncope et asphyxia certe cataphora eo dignoscitur, quod suppressis animi functionibus tamen vitales agere non desistunt, dum in illis morbis etiam pulsus et respiratio valde recedunt. Cataphora idiopathica chronica saepe autem cum illis morbis et somnambulismo complicatur. Quae Schindleri observationes re vera ejusmodi somnum morbosum, cataphoram, cujus causa materialis nondum cognita sit, constituere videntur. Permultos casus ejusmodi morbi memoratu dignissimi, ubi aegroti per dies, hebdomades et menses, saepe nullo cibo sumto, in ejusmodi somno perseverarent, ac nonnunquam sponte reconvalescerent, describunt et narrant Schindler, Macnisch (58), Bischof (59) alii.

VI. DE PERVIGILIO.

Quodque incitamentum externum vel internum, animi vel corporis, quod, cum defatigatio organismi somnum poscat, nervos vi tanta irritat, ut ad reac-

(58) l. c. p. 148—155.

(59) Geschichte einer achtzehnmonatlichen Schlafsucht. Wien 1829.

tionem magnam cogantur, somnum fugat, et praeternaturale pervigilium vel agrypniam efficit. Ad ejusmodi causas pertinent hae: praecipue agitatio sanguinis et vehemens orgasmus, dolores, nimia irritatio cerebri; ideo fere omnes morbi nervosi et morbi mentis, inflammationes, febres, delirium tremens etc. Agrypnia in morbis persaepe pessimum est signum. Pervigilium arte efficere possumus, si incitamenta externa sensuum augemus, aut spiritus et aliis irritantibus nervos et sanguinem incitamus. Ad ea quoque pertinent, ut cuique experientia notum est, infusum coffeae, theae, coena luxuriosa sub noctem. Sola etiam animi voluntate per tempus aliquod somnum prohibere possumus. Idem efficiunt labor animi et corporis modum egressus nimis magna defatigatio, quae doloris instar agit et somnum irritatione magna prohibet. De frigore somnum fugante vide supra. Omnes vehementes animi affectus, ira, timor, amor etc., praecipue deprimentes, taedium, cura, luctus, conscientia malorum etc. somnum repellunt, et agrypnia homines torquent. Pervigilii effectus sunt: exhaustae vires vitales, magna debilitatio systematis nervosi, depravata digestio et nutritio, obstructions in visceribus inflammationes, febres, macies, cachexiae, nec minus perniciosissimos morbos nervosos efficit, et in melancholiam, maniam et ipsam mortem transit. —

VII. DE SOMNIIS.

In somno actio animi quodammodo continuatur modo majorem modo minorem se ostendens,

certo demonstratur somniorum existentia. Ubicunque somnus et vigilia inveniuntur, verisimiliter etiam somnia quaedam existunt. Animalia somniare, quemque experientia docet. Jam veteres eam rem cognovisse, proverbio illo graeco: „κύων ἄγραν ὀνειρώττων,“ et pulcherrima descriptione **Lucretii Cari**: »Quippe videbis equos forteis« etc. (60) optime probatur. Quemque hominem somniare dubitandum non est, et de homine, qui nunquam somniaverit, nulla observatio certa existit; exemplum ingeniosi **Lessing** jam dudum rerum periti falsum esse demonstrarunt. Homo num unaquaque nocte somniet, non certum, sed maxime verisimile est. Multos enim in somno loquentes audimus, qui postea nullam ejus rei memoriam habent. Infantes certo jam somniant, sed anno septimo primum somnia sua narrant. Memoria deficiente ergo, somnium non adfuisse, nequaquam demonstratur (61). Caeterum somnia sunt phaenomena normalia, et in ipsa valetudine optima et sub noctis finem maxime clara. — Causa proxima somnii in animi actione etiam per somnum durante posita est. Incitamenta corporis et animi sunt causae remotae. Ad incitamenta corporis, quae somnium adducant, omnes sensuum affectiones pertinent, quae tam vividae sunt, ut in somno percipiantur, nec tamen somnum excutiant, aut ab animo plane cognoscantur. Praeterea status corporis internus, irritatio organi cujusdam, inflammatio vel alius morbus, concitata circulatio sanguinis, conge-

(60) De rer. natur. L. IV. v. 984 — 1004.

(61) Burdach l. c. §. 599.

stio ejus in partem singularem, in cerebrum, pulmones, et alia, ejusmodi somniis ansam praebent. Sic e. g. imminens haemorrhagia persaepe somnio, ac si homo in fossam sanguine repletam demergeretur, annuntiatur. Huc quoque referenda sunt: magna ciborum copia, potus spirituosus, narcotica, defatigatio et situs corporis, qui congestiones efficiat. Etiam temperamenta et aetas magni momenti sunt, et his se adjungunt incitamenta psychica: omnes labores in scientiis, omnia, quae animus magna cupiditate persequitur, omnes libidines et affectus, amor, odium, gaudium, luctus, cura, timor, taedium, conscientia malorum etc. —

VIII. ACTIONES IN SOMNIIS.

Etiam in somniis partim sensuum perceptio, partim animi vires, phantasia, judicium, memoria etc. apparent. Ad sensuum perceptiones referenda sunt illa phantasmata, hallucinationes, quae brevitate somnum plerumque se ostendunt. Initio imagines illae secundum Purkinje (62) nebulae sunt, in quibus mox striae clariores se ostendunt; secundum J. Mueller (63) massae singulares, clarae, coloratae, quae denique imagines formant. Quae coloratae imagines, quod Mueller demonstravit, non solae imaginationes rerum sunt, sed vera simulacra oculis se offerunt. Illae multorum somniorum materiam praebent, et Gruithuisen eas somniorum

(62) Beobachtungen und Versuche zur Physiologie der Sinne.

(63) Ueber die phantastischen Gesichterscheinerungen. Koblenz 1826.

chaos apte nominavit, quamvis multum abest, ut omnino omnia somnia efficiant. Phantasmata illa, quae saepe die apparentia quasi somnia in vigilia producunt, permultis fabulis de spirituum spectatoribus, qui diabolum, mortuos, aliaque spectra se vidisse dicerent, occasionem dederunt. Ipsae in multis quoque morbis, e. g. delirio trementi apparent. Sed hallucinationes objectivum tantum spectaculum, singulas imagines ostendunt, somnia vero eas in actiones et facta conjungunt, in quibus plerumque nos ipsi quoque agimus. Sensuum organa in somniis re vera affecta sunt, et agunt. Gruithuisen permultos casus adfert, in quibus post resurrectionem ex somnio affectiones sensuum etiam amplius durabant, et somniorum imagine adhuc ante oculos versante res verae externae omnino obtectae erant, donec illa perlucida fieret, et denique evanesceret. Scriptores nonnulli, e. g. Gruithuisen et Brandis (64) docuerunt, somnia gigni singulorum sensuum vigilia; sensus minus, quam alii, defatigatos tunc magis agere, et somnia producere. Sed ii ipsi sensus, qui die maxime activi, ideoque prae omnibus defatigati esse debent, plurima somnia excitant, e. g. oculi. Homines aliquid se videre saepissime somniant, non tam saepe audire, raro gustare. Vis praecipue in somnio agens est phantasia, quae etiam somnia illa ad sensus spectantia persaepe eo producit, quod eas res, quibus ipsa

(64) Pathologie oder Lehre von den Affekten des lebendigen Organismus. Hamb. 1808. p. 656. ff.

occupata est, sensuum organis communicat, et iis tanta vi imprimit, ut veris externis affectionibus saepe depelli non possint, quod e. g. in somnambulismo evenit. Principium et causa ergo ea in re non sensus organon, quod Tiedemann (65) contendit, sed phantasia est (66). Materiam somniorum memoria inprimis porrigit. Sine visu nati non de visis; muti et sine auditu nati non de auditibus rebus somniant, et qui usum oculorum amiserunt in somniis ea tantum, quae antea cognoverunt, aut varias eorum complicationes vident. Memoria in somnio in certam temporis longitudinem retrogreditur, ut Rudolphi adnotat; cum de iis, quae puer fecerimus et quae diu jam praeterita sint, non somniemus, se de recentioribus vitae conditionibus. Eodem modo ii, qui visum perdiderunt, per breve tantum tempus postea de rebus visu percipiendis somniant. Tamen Rudolphi ut exceptionem a regula exemplum L. Baczko adfert, et Burdach senes saepe de infantia sua somniant dicit. Regula vero est, memoriam in somnio diu praeterita non revocare. — Phantasia, quae re memoria et sensibus adferuntur, eas in somnio conjungit, explicat, et consueto ludo commutat; variis coloribus pingit, et haec omnia modo lenta, contemplativa et re fixa, modo citissimo decursu et subitaneis mutationibus efficit, ita ut uno temporis puncto tantam rerum copiam percurrat, qua in vi

(65) Untersuchungen über den Menschen. 3 Th. S. 185.

(66) Burdach l. c. §. 600.

gilia per dies, menses et annos occupata et detenta esset. — Si Tiedemann negat, nos, quibus rebus die vigilantes maxime occupati sumus, de iis saepissime quoque somniare, certe omnium experientia contra eum pugnat. Jam veteres hoc cognoverunt (67), quemque somniare, quicumque sit, quaeque agat; militem de bello, rusticum de agricultura, avarum de pecunia, venatorem de venatione, amatorem de amica, hominem sceleratum de poena etc. — Praecipue memoratu digna sunt somnia, quae phantasia ex sensuum affectionibus format, dum singularibus quasi fabulam adjungat, quam ex memoria status praeteriti haurit, et ad illas nunc refert. Sic amphora calida ad pedes posita somnium efficiebat, ut Gregory refert, ac si in monte Aetna, aut secundum Davidson, ac si per carbones fervidos ambularet. Contractio spastica musculorum somnium efficit, ac si ex alto decideremus. Irritationem partium genitalium, calore etc. effectam, phantasia cum perfecta amoris cujusdam historia conjungit, et irritationem saepe usque ad pollutiones auget. Nos vestibis nudatos ambulare somniamus, cum de lecto integumentum deciderit (68).

(67) Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur abire; etc,

Lucret. l. c. v. 959.

Omnia, quae sensuvolvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

Claudian.

(68) Davidson l. c. p. 45.

Macnisch l. c. p. 40. ff.

Re vera autem omnes ejusmodi phantasiae fictiones in somniis causam suam in iisdem legibus habent, secundum quas generatim animi cogitationes se invicem excitant et associant. Perceptio sensualis cogitationem, quae in vigilia quoque cum illa conjuncta esse solet, excitat, et inde ab illa oritur series cogitationum similium, contrariarum etc., quae somnium constituunt. — Interdum somnia cum motibus muscularibus conjuncta sunt, qui somniis respondeant, et ea indicent. Sic vacca ruminat, canis venatorius latrat, indagat et pedes ad cursum movet. Plerumque autem omnes illi motus, cum voluntas secundum somnium in musculos quidem agat, sed inopia sensibilitatis eorum impediatur, debiles tantum sunt. Animus saepe hoc impedimentum sentit, et debilitas illa in somnium transit; effugere volunt, et pedes movere non possunt, pugnamus, sed ictus omni vi carere in somnio sentimus. Motus saepe etiam perfecte et omni vi perficiuntur, e. g. motus musculorum in pollutione nocturna agentium. Permulti in somnio loquuntur, et tanta vi brachia et pedes jactant, ut se ipsos vulnerent. Qui status ad somnambulismum propius accedit, in quo motus in actiones et facta conjunguntur. — Somniorum res principalis in eo posita est, quod animus subjectum et objectum efficit, seque ipsum contemplatur et observat. Animus sui conscius est, sed non quoad naturam externam spectat. Quod ad individualitatem attinet, mentis conscientia eadem est, ac in vigilia, sed magis obtusa. Etiam judicium fere idem est, sed saepe multa ne-

gligit, et e. g. cum mortuis loquentes minime miramur. Nonnunquam vero animus somnii vanitatem aliquo modo sentit. Tunc in somnio cogitatio nobis offertur, nos somniare (69).

IX. DE ACTIONE ANIMI IN SOMNIIS AUCTIONE.

In somnio nonnunquam aut vires aut actionem animi adauctam esse, permultae observationes comprobare et demonstrare videntur. Multa, dicit Autenrieth, in somnio nobis clara fiunt, quae vigilantes frustra persecuti sumus. Permulta exhibentur ejusmodi exempla. Burdach amicum in somnio poetam factum esse narrat. Reinhold somnians deductionem categoriarum invenit (70). Voltaire eodem modo librum carminis in Henricum plane aliter somniasse fertur. Ejusdem generis exempla Nudow (71) quoque narrat. Maignan somnians mathematica axiomata, eorumque demonstrationes invenit. Ejusmodi somnia medica Burdach de se ipso narrat. Itaque somnia ejus generis existere, in dubium vocari non posse videtur. Sed num idcirco vires animi majores sint, quam in vigilia, quaeritur, et mihi quidem non necessario sequi videtur. Namque ad veritatem, quam animus in talibus somniis assequitur, jam meditatione, dum vi-

(69) Rudolphi l. c.

Burdach l. c. §. 603.

(70) Carus, Psychologie. 2. Aufl. Lpz. 1823. II. p. 203. ff.

(71) Versuch einer neuen Theorie des Schlafs. Königsberg 1791. p. 161 — 169.

ilaret, usque ad illum gradum praeparatus fuit, ut omnians ad rem plane cognoscendam non nisi ultimum passum faciat; quod ipsi eo facilius est, cum, ejusmodi somniis plerumque mane orientibus, animi vires jam recreatae, nec rebus externis, neque iis, quae fortuito ad cogitationem accedunt, impeditae sint. Si vero vires re vera ad majorem actionem evectae sint, hoc non somnium haberem, sed potius statum ecstaseos, qui etiam vigilantem occupat, sicut in furore illo poetico et summo somnambulismi gradu, qui vigiliae proximus accedit. ii, quod Burdach dicit, in somnio vires animi maximae essent, somnus atque somnia vigiliae praerenda forent, et vigilatio ut temporis jactura et relaxatio virium contemnenda esset. Similis sententiae causa medicum quendam de viginti quatuor horis duodeviginti dormire constituisse, Boerhaavius narrat, donec appoplexia mortuus sit.

His adjungenda sunt somnia praesagientia; quae qui crediderint, nunquam defuerunt, tam apud recentiores quam omnes populos antiquos (72). Burdach et Brandis illa defendunt. Dividi possunt in tres classes: 1) somnia quae ex physicis, quae ex psychicis causis oriuntur et vera reduntur; quibus 3) accedunt, quae fortuito perficiuntur (73). Ad primam classem pertinet, si quis de

(72) Carus l. c. p. 180,

Nudow, l. c.

Plinius N. H. V. c. 11.

(73) Davidson l. c. p. 53.

futuro morbo vel reconvalescentia somniavit. Hoc praesagium inde oritur, quod animus somno quietus, sibi ipsi magis commissus et rebus externis minime impeditus, facilius vel minimas perturbaciones in corpore sentit, quibus imminens morbus vel sanitas indicatur. Multis hominibus iidem sensus quasi prodromi eadem in vigilia praedicunt, neque diversi sunt ab iis, quos e. g. paulo ante imminentem vertiginem, et in multis aliis casibus percipimus; atque pathogenia satis ostendit, quam longa series morbosarum in corpore mutationum saepe diu antequam morbus ipse prorumpat, antecedant. —

2) Ex psychicis causis. Miles bellum oriri somniat, juvenis doctus, se professorem fieri, negotiator se dives lucrum acquisiturum; et ejus condiciones ejusmodi sunt, ut somnium, cujus impulsu nunc laborem suscipit, facile perfici possit. —

3) Quae fortuito perficiuntur. Unusquisque miras phantasiae in somnio vagationes novit: magna imaginum copia praeteriti atque futuri temporis observantur, in quibus una aut altera etiam postea facile perficitur, sicut etiam multae vigilantium opiniones verae fiunt. Ipsa fides, somnium perfectum iri, procul dubio saepissime verum illud reddidit. Qua in re tunc et psychicae et physicae causae invicem agunt. Nusquam illa fides majorem vim habet, quam ad hominum sanitatem vel morbos. Saepe homines somniaverunt, se certo quodam tempore morituros esse, quo re vera mortui sunt (74).

(74) Act. phys. medic. Acad. Leop. Carol. nat. curios. Vol. X. Observ. VIII. p. 148.

Sed qui novit, quantopere animus atque inprimis firma ejusmodi fides et inde procreati affectus deprimentes in corporis valetudinem agant, et una cogitat, illa somnia saepe ex sensu imminentis morbi supra descripto prodire, atque tales homines, dum ita somniant, plerumque jam aegrotare: is loco miraculi in his casibus prorsus naturalem connexum causarum atque effectuum videt. Neque minus affectus laeti somnio procreati ad reconvalescentiam maximi sunt momenti.

De supranaturalibus, divinis, propheticis somniis historia omnium populorum atque temporum innumera exempla exhibet, quae plerumque ad religionem transferebantur: quorum fides, sicut semper exstitit, nunquam forsitan peribit. Auctor libri »Ahndungen und Visionen« eidem fidei accedit, quanquam ibidem paulo inferius, miratu satis dignum, ejusmodi somnia nostro quoque tempore evenire, omnino rejiciendum esse dicit. Schubert(75), sicut Macnisch et alii, qui theoriam de cranioscopia a Gall propositam sequuntur, proprium somniorum organon in cerebro esse statuunt. Praeterea vero etiam secundum prioris sententiam in eo organo poeta ille admirandus habitat, qui ingeniosa, ironica allegoria, somniis de gaudio luctus, de die natali diem supremum annuntiet. »Mirum illud organon,« dicit, »futura scit, quae etiam omni tempore, quo scilicet animus occupatus ei veniam loquendi concedit, libere pronuntiat!« Multa ejusmodi som-

(75) Symbolik des Traumes, p. 17.

nia, sed quae tamen e naturae viribus deducere et explicare studet, Macnisch narrat. Tiedemann (76) jure valde dubitat, rem, de qua naturali modo nec praevidere neque augurari quis quidquam possit, unquam somnio praedici; eandem ad personas et conditiones omnino somnianti ignotas pertinere, et omnes somnii conditiones accurate cum re vera consonare non posse statuit. Inspirationes vero spirituum superiorum, quae meta physin sint, ea de causa a physiologia inquiri non possunt. Ejusmodi somnia existere posse, negari nequit, sed observationes omnino certae adhuc in optatis sunt, et verisimiliter, cum fides plerumque sufficiat, semper manebunt.

X. INCUBUS, EPHIALTES.

Somniorum genus maxime horribile est, quae morbum Incubum comitari solent. In ejusmodi somnio infandi terrores hominem excruciant. Somnians omnis generis spectra videt, monstra horrenda se persequi, comprimere, suffocare, jugulare putat; foemina saepe, secundum Gottel l. c., molestissimum viri immanissimi concubitum somniat; et maxima hac anxietate nec movere se, nec clamare vel auxilium vocare potest. Simul magna dyspnoea, respiratio celerrima, pulsus valde frequens adest. Homo maximo hoc cruciatu denique viribus exhaustis suscitatur, vehementem cordis palpitationem,

per magnam defatigationem sentit, et sudore copioso perfusus est. Hic status saepe etiam die homines obrepit, et tunc, excepto plerumque somnio, eadem phaenomena exhibet. Antiquis temporibus, immo etiam hucusque in nonnullis regionibus, incubum pro visitatione diaboli, daemonum et sagarum habuerunt, et propterea, si daemon sexus virilis erat, incubum; si muliebris, succubum vocarunt. In ejusmodi daemonum impetu se omnes coitus affectiones percipisse dixerunt; immo etiam mulieres ex diabololo et iis daemonibus concipere et gravidas reddi putaverunt. »Dit heeft plaets gegeven, om te gevooven, dat 'er Bovenliggende en Onderliggende spoken waren, namelyk Geesten, door liefde tot de Vrouwen ontsteken; en dat Hexen van de Duivel bekeent, en beswangert worden« (77). Quae fides mulieribus illius temporis idem refugium praebebat, quam virginibus graecis Jovis et caeterorum deorum similis fama. — Incubi natura est impetus spasticus, asthmatis forma, qui cum sensu gravis oppressionis, imminentis suffocationis et caeteris somnii terroribus conjunctus est (78). Somnium modo affectus, modo eausa spasmi, simul cum eo statum constituit. Dispositionem omnes ad morbos nervosos inclinantes, et prava digestionem, obstructionibus,

(77) Venus Minsieke Gasthuis, waer in beschreven worden de bedryven der liefde in den staet des Houwelyks. Door J. V. E. Med. Dr. Den derden Druk. t'Amsterdam 1688. p. 613. 618.

(78) J. Waller Abhandlung vom Alpdrücken, a. d. Engl Wolff, Frankf. a. M. 1820. — Macnisch l. c. p. 97—114.

plethora, pulmonum et cordis statu morboſo laborantes habent. Causae occasionales sunt omnes res, quae dispositionem nervosam efficiunt, chylopoesin turbant, et congestiones sanguinis excitant; affectus animi deprimentes, abusus ciborum et potus, situs corporis in dorso, caput nimis declinatum, integumenta, quae partem aliquam constringunt, aut calorem capitis et pectoris valde augent etc. Quamque ejusmodi causam cura respicere debet. Waller continuum natri carbonici usum praecipue bene agentem invenit.

XI. SOMNAMBULISMUS.

Nomina antiqua noctambulatio, noctivagatio, noctisurgium etc. nimis angusta sunt, cum status ille etiam die se offerat; qua de causa aptius plerumque somnambulismus vocatur. In somnio loqui gradus praeparans et quasi prodromus somnambulismi est, cum voluntas jam in musculos linguae etc. agat. Ubi somnians loquitur, saepe aliorum dicta in somnium suum recipit. Ejusmodi casum Reil narrat, in quo duo somniantes colloquium habebant, et Brandis saepe cum ita somniantibus disputationem instituit. Equidem ipse cum fratre meo somniantem persaepe collocutus sum de laboribus die ab eo perfectis. Generatim ejusmodi somnia, ex rebus somnum brevi praegressis orta, ante mediam noctem vel paulo post somnum captum, non sub finem noctis, mane intrans. Macnisch exemplum, ubi vir tali colloquio conjugis perfidiam detexerit, et multa alia narrat. Cum motus illi in somnio,

quos supra commemoravi, in continuas actiones conjungantur, et somniantes ambulent, somnambulismus nominatur, in quo persaepe etiam loquuntur. Secundum Burdach gradus tres somnambulismi distinguui possunt: 1) somniantes ambulant; 2) simul loquuntur; et 3) ab externis rebus adeo affectiones percipiunt. Has subjectivas tantum disjunctiones esse, cum gradus illi in uno eodemque somniante commisceantur, quisque videt. Somnambulismus est status medius inter somnum et vigiliam, in quo utrumque commixtum est. Nonnulli somnambuli, lecto relicto, ambulant, eademque, quae in vigilia solent faciant, fumant etc., atque iterum recumbunt. Alii simul loquuntur, sed, ut in fratre meo ipse observavi, plerumque fanaticae; praeclaras orationes habent, scribunt, quae ad scientias pertinent, carmina componunt etc. Ejusmodi exempla narrant Bohn (79), Nieremburger (80), Henr. ab Heers (81), Darwin (82), Macnisch (83) et alii. Nonnulli somnambuli vero, quae in vigilia et ratio et timor mortis impediunt, perficiunt; adscendunt in tecta, arbores etc., atque insuper ambulant per loca periculosissima; cujus rei exempla invenies apud Jac. Horst (84), Hoffmann (85),

(79) Casus aegri noctambulationis morbo laborantis. Lips. 1717.

(80) Philosoph. curiosa.

(81) Observat. med. rarae. Lugd. Bat. 1645.

(82) l. c. Bd. I. S. 418. ff.

(83) l. c. p. 114 — 133.

(84) Libr. de noctambul., ejusd. epist. ad Hildanum in Hild. op. Observ. 684. et 85.

(85) Disput. de somnambulat. Hal. 1695.

Knoll (86), **Sauvages** (88) et alios. Somnambuli modo facile suscitantur, modo difficillime. Saepe oculi aperti sunt (88), pupilla amplificata; oculus vero etiam lumine vehementissimo admoto non mutatur, vel clauditur, neque pupilla contrahitur (89). Persaepe vero oculi in somnambulismo clausi sunt, ut in casu, quem **Bohn** narrat, aut tantum semi-aperti. Plerumque unus sensus quodammodo vigilat, dum caeteri omnino contra vehementia incitamenta clausi sunt; e. g. quasi in crepusculo vident, et minime audiunt, aut e contrario. Expergefacti plerumque valde defatigatos se sentiunt, et in plurimis casibus memoria de statu praeterito nulla restat [(90), aut quasi somni tantum reminiscuntur (91). Nonnulli nocte tantum, alii etiam die in somnambulismum incidunt; in quibusdam res periodice certis temporibus, septimana quaque vel nova et plena luna redit. — Sicuti somnambuli illi sponte in statum eum incidunt, sic etiam nimia phantasiae et systematis nervosi irritatione, atque magnetisantis manipulatione, multisque aliis modis homines in eum transferri possunt. His accedunt plurimae illae mirandae historiae de somnambulis, magnetisatis, clare videntibus (clair-

(86) *Abhandlung Von Nachtwandlern*. Quedlinb. 1753.

(87) *Hamb. Magaz.* Bd. 4. St. 74.

(88) *Van Swieten Com. in Boerhav. Aphor. Lugd. Bat.* Tom. III.

(89) *Burdach* l. c. §. 603.

(90) *Budolph* l. c.

(91) *Davidson* l. c. p. 72.

voyantes), quae maximam partem dolo et mendacio productae sunt. Praesagium ejusmodi aegrotorum, edicit Rudolphi, quoad vere et bene observatum est, nullo modo ab iis, quae in aliis statibus phantasiae exaltatae animadvertuntur, differt. Si quando, dicebat J. Mueller in praelectione de physiologia, aliquid prophetici, quod illum modum excedit, vel visio in remotissimas regiones extensa apparet, tunc medicus statim dolum certe praesentem detegere studeat. — In plurimis ejusmodi casibus dolum adfuisse, observatores partim ipsi postea invenerunt, et professi sunt (92), partim alii dolo nebulas et involucra detraxere (93). Veritas phaenomenorum magnetismi animalis nondum satis a falsis, quae tam errore quam fraude admixta sunt, secreta est, ut ejus fines accurate constitui, et ipsi jam nunc certus atque utilis locus in arte medica tribui possit. —

XII. SOMNAMBULISMI EXPLICATIO.

Somnambulismus, ut supra dictum, nil aliud est, atque intermedius quidam status inter somnum et vigiliam, somnii altior gradus, in quo ipsum tam vivide agit, ut corpus secundum seriem imaginum procreatarum moveatur. In quibusdam somnambulis affectiones externae in seriem somniorum nullam vim habent, in aliis recipiuntur et cum ipsis

(92) Stiebel, Kleine Beiträge zur Heilwissenschaft. Frkf a. M. 1823. p. 149 — 212.

(93) Pfaff, Ueber und gegen den Magnetismus. Hamb 1818. 8.

commiscentur. Sic somnambulus in fenestra equitat; sentit, se in re aliqua sedere, sed imago equi tam vivida est, ut repugnantia externae affectionis non nisi obscure perceptae somnium non solum non perturbent, sed adeo adjuvent. Fictiones phantasiae saepe tam vividae, quam quae sensibus externis percepta sunt, ex cerebro exeuntes tam fortiter modificantes in organum, quod ad somnium pertinet, agunt, ut haec ejus affectio, non ut plerumque rebus externis procreata, nullis externis incitamentis perturbetur. Organum quasi intrinsecus somnii imagine praeoccupatum, et hac re contra incitamenta externa obtusum est. Similis status est, ac si quis propter eximiam intentionem in rem quandam caeteras omnes circa se non percipit, ut e. g. de Archimede aliisque multis narratur (94). Inde explicatur aliqua ex parte, quam ob rem somnambulus lucem non videat ad ejus oculos admotam; aut si aquam bibens vinum esse putat, quale somnium ei suppeditat. In actionibus obscura nocte somnambulis partim consuetudo negotiorum quorundam in vigilia, partim tactus auxilio est. Num in periculis evitandis videant, ex observationibus non satis certum, sed tamen verisimile habendum est. Good, ut Macnisch dicit, eos pericula videre contendit. Aptissime poeta ingeniosus Schiller dicit, ejus rei explicationem in crepusculo sensuum positam esse. Quod in tectis, alibi, ambulant, minime mirandum est; unusquisque vigilans idem sine periculo facere posset, nisi periculi co-

(94) Macnisch l. c. p. 200 — 214.

itatio rem periculosam redderet. — Quod ad memoriam attinet, somnambuli, ut supra dictum, mane expergefatti, quid egerint, minime aut quasi somnii tantum reminiscuntur. In universum, esse rem aut non esse, ex vivacitate perceptionum judicamus; quapropter saepe imaginationes pro veris perceptionibus, et verae perceptiones, non satis vividae, pro imaginationibus habentur. Si externo quodam incitamento e. g. musica expergiscimur, et deinde iterum somnum capimus, postera luce illam somniasse nobis videmur. Saepe etiam ejusmodi incitamenta somnium simile procreant. Somnambulos partim facile, partim difficile suscitari posse diximus; exclamatio nominis proprii facile eos exsuscitat, utpote quod repentinum sui ipsius sensum excitet, quo cogitationes rerum externarum, periculi etc. procreantur.

III. CAUSAE SOMNAMBULISMI REMOTAE.

Proxima somnambulismi causa eadem est ac somnii. Praeterea et multas quoque causas remotas iis somnii et Incubi similes habet. Ad physicas causas remotas somnambulismi referenda sunt, debilitatio et nimia irritatio systematis nervosi, prava hyalificatio et nutritio corporis, cibus et potus, qui digestionem valde molestent, abusus praecipue spirituosorum, narcotica, sedens vitae conditio, morbi podominis, hypochondria et hysteria, magnetismus, forsitan etiam atmosphaerae quaedam conditiones, electricae etc., aut secundum Senert et alios lunae. Ad psychicas causas pertinent: omnes libidines et

affectus, praecipue deprimentes, meditatio et studium scientiarum nimis intensum, mentis morbi, temperamentum cholericum et melancholicum, etc. In juvenibus et aetatis mediae hominibus somnambulismus saepissime observatur. Mulieres saepius, quam viri eo occupari dicuntur, cujus rei causa praecipue major earum sensibilitas habenda est. Somnambulismum etiam hereditarium esse ferunt, quod respectu morborum, quos ut ejus causas enumeravi, haud ineptum videtur. Jam supra, somnambulismum nonnunquam periodice redire, et ita morbum periodicum exhibere, commemoratum est, et observationibus constat. In universum somnambulismi causas morbosas invenire plerumque difficillimum est; modo sponte evanescit, modo omnibus medicamentis resistit.

XIV. DIAETETICA SOMNI.

Cum jam supra somni necessarii in homine sano causas et effectus demonstraverim, hoc loco paucis conditiones, quibus homini maximam utilitatem adferat, describam, et quod attinet ad effectus somni in morbos sanandos, satisfacisse me arbitror, si ut Burchardt Diss. (95) respicias monuero. De somno et somniis ut signo in morbis disserere, hujus opusculi limites vetarunt, qua de re libros semioticos et dissertationem Büchner (96);

(95) Somnus naturae medicatricis molimen. Berol. 1835.

(96) De somno et insomniis ut signo in medicina. Hal. 1749.

Heusinger Com. semiolog. de variis somni vigilarumque conditionibus. Isenaci 1820.

re limitibus somnii et insaniae Westphal (97) conferas. — Somno ex legibus naturae omnino careere non possumus, quanquam aetas, constitutio, labores et consuetudo necessitatem vel augent vel minuunt. Foetus et neonatus in continuo fere somno versatur; aetate crescente somnus magis coercetur; in senibus iterum longior est, sed saepe interruptus, et multi de agrypnia conqueruntur. Natura defatigationis sensu et somnolentia ad somnum incitat, et, licet homo per tempus aliquod somno resistat, denique tamen tantâ vi ab eo corripitur, ut etiam vehementissimis incitamentis eum fugare non possit. In proelio apud Abukir milites navales quidam labore et vigilia ita defatigati erant, ut in maximo tormentorum tumultu in somnum inciderent. Multa ejusmodi exempla narrant Macnisch et Davidson (98). — Somnus hominis sani usque eo durat, quo supra descripta organismi restauratio perfecta est, quod plerumque sex vel octo horis durat. Alii horas tres tantum, alii quatuor, quinque, sex, septem, octo horas somno tribuerunt (99). Sed ea in re corporis et animi constitutio, nec minus consuetudo maximi momenti sunt. Status organismi et ejus actiones etiam somni longitudinem constituent necesse est, aequae ac cibi et potus quantitatem praescribunt, et somno universalem certam normam dictare, eodem modo ineptum mihi videtur, ac si quis morbo cuidam medicamentum

(97) De somno, somnio, insaniam, Diss. Berol. 1822.

(98) l. c. p. 17.

(99) Macnisch l. c. p. 228.

quoddam omnibus casibus aptum esse contendat. — Magnae animi actiones, quibus systema nervosum valde debilitatur, diutiorum somnum poscunt, quam corporis labores. Affectus deprimentes somnum eadem de causa magis extendunt, et in universum quisque organismi status proprium somni modum sibi respondentem requirit. Effectus saluberrimos, quos somnus sanus procreat, quisque experientia cognovit. De noxiis pervigilii jam supra dictum est; sed abusus somni adeo majores fere noxas producit; scilicet sensibilitatis et irritabilitatis obtusio- nem, pigritiam, virium animi depressionem, pingue- dinem nimiam, cacochymiam, leucophlegmatiam, hy- dropem, amentiam, melancholiam, etc. Somnus sit satis longus et quietus. Repentina exsuscitatio om- nes perniciosos magni terroris effectus procreare pot- est. Quando somnus capiatur, natura satis indica- vit, cum ejus periodico typo et diei noctisque vici- bus vigilia et somnus certo respondeant. Hominem consuetudine diem somno et vigiliae noctem desti- nare posse, naturae leges et ordinem non potest pervertere. Nox non solum maxime naturale somni tempus est, sed etiam saluberrimum, et homo certe nunquam sine ullo valetudinis detrimento a naturae ordine illo decedit. Somnum ultra mediam noctem haud sine damno differri, certo quemque in se ip- sum attentum experientia jam docuit. — Multum disputatum est, utrum somnus meridianus sanitati conducat, an eam offendat. Multis certe noxius est, multi ob consuetudinem eo carere non posse, et nil detrimenti inde sibi contrahere videntur. Seniori- bus, quorum vires meridie jam exhaustae videntur, quique ad infantis statum recedunt, immo etiam valde conducit, et necessarius est. Sed tamen schola Salernitana jam recte monebat: »Sit brevis aut nul- lus tibi somnus meridianus.« Hominibus robustis et junioribus non convenit, quod symptomatibus, vertigine, pigritia, gravitate capitis, lassitudine, ob- tusitate, taedio, satis demonstratur, quibuscum sem- per expergiscuntur, nisi somno illi assueti sint.

consuetudo et constitutio corporis in singulari casu
 am decernere debent. — Cubiculum sit satis am-
 um, aër temperatus, siccus, purus, non odoribus
 orum, vel aliis noxiis exhalationibus impletus.
 stratum durum utilius, quam nimis molle; lectus
 illis animalium stipatus melior, quam qui plumas
 ium continet. Integumenta mediocrem calorem
 ficiant, nec vestes, ligamenta circa collum etc.
 artem aliquam constringant. Situs in dorso ma-
 ime naturalis esse videtur, et valde defatigato ma-
 mam quietem porrigit; sed praecipue in juniiori-
 us pollutiones provocat, et iis, qui ad incubum
 eclinant, hunc statum facile adducit. Certo opti-
 mus in latere dextro situs est, quo modo nulla cor-
 poris functio impediatur, et organa interiora ma-
 ime libera jaceant. Deinde homines sani non uno
 lecto cum aegris somnum capiant, nec juniores
 um senioribus. Cibi et potus si brevi ante som-
 um, et magna copia sumuntur, somnus inquietus
 , et anxiis somniis turbatur. Bene ergo schola
 allernitana monebat:

»Ut sis nocte levis, sit tibi coena brevis.«

V I T A.

Franciscus Schneider, Guestphalus, Recklinghu-
 mus, confessioni addictus catholicae, anno hujus
 seculi undecimo die II. Novembris natus sum a pa-
 tre *Carolo Schneider* et matre *Sibylla*, de gente
ruerlaender, quibus adhuc viventibus gaudeo. Pri-
 us literarum elementis in urbe patria imbutus, ibi-
 um per octo annos Gymnasium frequentavi; unde
 titimonium maturitatis adeptus, literarum Univer-
 sitem Rhenanam petii, ibique rectore magnifico
Diesterweg in civium academicorum numerum,
 a decano spectabili Ill. *Nasse* inter studiosos me-
 dicinae receptus, has praelectiones frequentavi. Ex
 illine philosophorum mihi exposuerunt; logicam
 psychologiam Ill. *a Calker*; physicam experimen-

talem Ill. *a Muenchow*; botanicen generalem Ill. *Treviranus*; mineralogiam Ill. *Noeggerath*, zoologiam Ill. *Goldfuss*; chemiam experimentalem Ill. *Bischoff*. Ex ordine medicorum: Ill. *Mueller* encyclopaediam et methodologiam artis medicae, physiologiam, et pathologiam generalem; Ill. *Mayer* et Ill. *Weber* anatomiam generalem et specialem et artem cadavera rite secandi; Ill. *Harless* materiam medicam, et therapiam generalem; Cel. *Albers* pathologiam specialem, et pathologiam et therapiam morborum syphiliticorum; Ill. *Wutzer* chirurgiam, akiurgiam, morbos oculorum, et artem fascias applicandi; Ill. *Nasse* therapiam specialem; Ill. *Kilian* artem obstetriciam, et instrumentorum obstetriciorum notitiam. In exercitationibus clinicis chirurgicis annum Ill. *Wutzer*, dimidium annum in propaedeuticis medicis Ill. *Nasse* moderatores habui. — Annos tres Bonnae versatus Berolinum me contuli, ubi rectore magnifico Ill. *Steffens* inter cives academicos receptus, a decano spectabili Ill. *Busch* medicinae studiosis adscriptus sum. Per annum exercitationibus clinicis interfui: Ill. *Rust*, Ill. *Juengken*, Cel. *Wolff*, Ill. *Busch*, Ill. *Bartels*, Cel. *Truestedt*. Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago maximas. —

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, jam in eo sum, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

T H E S E S.

1. Existit Pleuritis vera simplex.
 2. Tussis convulsiva est inflammatio.
 3. Causa praedisponens plus valet ad morbos provocandos, quam causa occasionalis.
 4. Somnus est res activa.
 5. Dysenteria est inflammatio intestini recti.
-

